


41



^{am}
^{H 3574} 1. Flacc i / II. / Gosto.
Ca apologetica ad
quendam pastorem
2. — quos Lorus
³⁰ ¹⁹⁴⁰ Luxe vñ, dico tibi ic,
missa fuit p. nihil
Planisacce justitio
patrocinetur. Magde.
Burgi, 1549

ADMONI=
TIO M. ALBERTI CHRI=
stiani ad primarium nostri tem= poris Ecebolum Eislebium scri= pta, Anno M. D. XLIX.

Cum præfatione eius= dem authoris ad Lectorem.

Item epistola ad M. Lucam Hec= zer diaconum Vuittenberg. de causa suæ discessioneis Vuít= tenberga contra calumni= atores suos.

1551.

xi.



PRAEFATIO.

INTER CAETERA REVERENDI & benedictæ memoriae patris nostri Martini Lutheri eximia & propheticæ dicta, Christiane lector, uel hoc id temporis, quo multi inimici crucis Christi oppugnatum & conuulsum papatum in integrum restituere cupiunt, apprime dignum & necessarium est, quod non dico aureis tabulis, sed imis sensibus & cordibus omnium fidelium, ac præcipue docentium et stantium in acie ad debellandum Antichristum insculpi debeat, Idq; eo tenacius, quo ipse illud crebrioribus sermonibus usurpare solitus est, Nisi ex toto corde oderimus regnum Papæ, non posse nos animarum salutem consequi.

2. Tomo,
129,

Nam præterquam quod hoc ille nullo inani aut detestabili contentionis studio, sed spiritu Christi, & uero ardentiq; zelo pro salute & gloria domus Dei accensus dixit, etiam hoc nos conuincit, ut uere eum & recte, sicuti alia omnia, dixisse fateri necesse habeamus, quod doctrina & regnum Papæ, ab Euangelio & regno Christi tam longe distat, quam cœlum a terra, lux a tenebris. Et qui hoc regnum Antichristi, sedentis in templo Dei, & exaltantis se supra omne quod dicitur Deus, hostili animo non oppugnat, Is, dum neq; odia potentum sufferre, neq; pericula amplius subire uult, Sed statuit e re sua & publica esse, si in utramq; partem claudicet, Diaboli laqueis tandem ita implicatur, ut de confirmata sententia, & agnita ueritate subdubitare, atq; impias & exiciosas Belial & Christi cōciliations moriri, & defendere incipiat, sicq; sibi æternum exicum accersat.

Extant

Extant reuerendi patris erudita & pia
scripta, quæ & Spiritu Dei inspiratum san-
ctum Dei uirum id loquutum esse ostendunt,
& ita graphice depingunt pugnantiam
doctrinæ & regni Papæ cum Christi filij
Dei, ut puer decem annorum eam intelligat.
Ad hæc te Christianum lectorem legenda
remitto, exempla eorum ob oculos tibi po-
nens, qui fracti bonorum suorum & publi-
corum decessione odium Papistici regni de-
posuerunt, eoq; deducti sunt, ut iam de æter-
na sua salute periclitentur, propter impias,
quas dixi, Belial & Christi conciliations
ab ipsis institutas, quo his exemplis præmo-
nitus tibi caueas, ne & tu in uia plana in la-
pidem offensionis impingas.

Non dicam de Eislebœ, Ecebolo &
communi Erynni Marchiæ, qui Lutheri iu-
dicio functione uerbi indignissimus, ioculari
alicui professioni præfici debebat. Docu-
mento nobis sunt, Pfeffingerus Lipsensis,
Morus Torgensis, & alij huius farinæ Mis-
nenses theologi. Vach quam uellem, ne &
in istorum numero essent charissimi & ob-
seruandissimi præceptores nostri D. Pome-
ranus, D. Mafor, quorum honori & æternæ
saluti pro eo ac debeo ita fauco, ut nihil de
ea detractum optem, indefinenter in preci-
bus meis coram Deo mentionem illorum fa-
ciens.

Constans sententia fuit Lutheri, an-
tequam synceram Euangeli prædicationem
recepérint Papistæ, nullam restorationem
rituum ipsorum, quamlibet indifferentium,
in Ecclesijs nostris instituendam esse, procul
dubio, quia præsensit uir Dei, experientia
sub Papatu edoctus, mirabiles statim fieri
progressiones, ad Impietatem & supersticio-

nem, ubi posthabito uerbo Dei mentes no-
stræ obseruare quoquo modo, & ornare in-
cipiunt traditiones hominum, & simulatas
sanctitates. Itaq; ubicunq; in scriptis suis
largitus est aduersarijs cæremoniarum resti-
tutionem, attexuit conditionem conciliatæ
& receptæ doctrinæ, & liberæ obserua-
tio-
nis.

Cum anno 1535. D. Philippus ad re-
gem Angliæ quædam doctrinæ nostræ capi-
ta lenius & moderatius (ut iam homines sa-
pientes loquuntur) quam uel ueritatis syn-
ceritas, uel ipsi⁹ authoritas postulabat, per-
scripsisset, & Papistæ occasionem inde nacti
gloriari de nescio qua conuentione cum illis,
inciperent, hæc ad quorundam fratrum lite-

Vide epis- ras tum respondit. Videre mihi videor,
stolam Diabolum circumire, & hoc manibus pedi-
Lutheri busq; obnixe conari, ut cū per externos ho-
Vittten- stes non possit in nos impetum facere, intesti-
bergæ eo- nam inter nos discordiam excitet. Verum
dem anno spero Christum, qui me contra tot spiritus,
a Nicolao qui omnia melius intelligere, gubernare, &
Schirlenz Papæ subiçere uoluerunt, iam annos 2 c. de-
impres- fendit, m̄hi & in posterum ad futurum. Ne-
sam ger- mo hominum cogitet, me cum Papa & Papi-
manice, stis conuenturum, nisi prius ipſi cum Euau-
gelio conuenerint, & illius prædicationem
liberam ac incorruptam permiserint. Ideo
nihil melius facere potestis, quam si ad glo-
riationem ipsorum econtra gloriemini. Si
Papa & assertores eius liberam Euangelię
prædicationē et synceram admiserint, quic-
quid uolent impetrabunt. Hoc uerbum,
liberum Euangeliū, uenenum, mors, infer-
nus, et Sathanas est in auribus Papistarum.
Perlubenter quidem Papa audit, quod hæc
illi polliceor, Sed quod requiro, ut uicissim
nobis

nobis liberum & putum Euangelium concedat, hoc male habet eum. Olfacit enim mures (ut germanico proverbio dicitur) & rematismo minime laborans sentit, se ita non posse permanere Papam.

In Mattheum super hæc uerba. Qui unum ex minimis istis soluerit, &c. ita inter cætera scribit. Sic omnes prædicatores animatos & instructos esse oportet, ut coram toto mundo gloriari possint, nos aduersarijs nostris sancta superbia insultare, quo uel unum uerbulum aut articulum ex scripturis proferant, quem nos soluamus. Nam ipsi in comitijs Augustæ fassi sunt, nostram apologiam esse ipsissimam ueritatem, nec pugnare cum ullo articulo fidei. Tantum hoc in nobis reprehendunt, quod ea, que concilia & Papæ statuerunt cum illis non seruamus. Quanquam semper nos obtulimus, ac etiam num possemus seruare omnia, si hanc nobis differentiam, & libertatem relinqucent, non esse ea ad salutem necessaria, nec pugnare cum Euangelio siue seruentur, siue non, Verum hoc non faciunt. Igitur nec nos illis cedere, & Christum saluatorem nostrum propter illorū foetidas, & ineptas humanas adiumentiones abnegare possumus. Cum enim hoc non sint contenti, sed ad abnegationem Christi, et purioris doctrinæ nostræ, quam ne ipsi quidem damnare possunt, nos cogere conentur, nos uicissim merito illos floccipendimus, ut qui a Christo rejecti, & condemnati sunt, non tantum propter doctrinam, sed etiam impiam ipsorum uitam.

Possem pene infinita recensere testimonia huius sive sententiae, ni uererer, ne nimia prolixitate tibi molestus essem. Bonam in illis colligendis nauauit operam optimus

no
e in
atas
suis
est
iatæ
atio
d re
api
s fa
syn
per
acti
illis,
lite
eor,
edi
ho
testi
rum
tus,
, &
de
Ne
api
ian
hem
Ideo
glo
Si
geli
uic
um,
fer
um,
hæc
sim
obis

et eruditissimus vir Ioachimus Vuestphalius, fidelis Christi dispensator apud Hamburgenses. Ea, si uoles, legere poteris.

Hanc viri Dei sententiam rebus melius stantibus summe probarunt et defendebunt Misnenses isti Theologi. In conuentu SmalKaldiano cum multis alijs congregatis sanxerunt, donec Papa et Episcopi persequuntur ueritatem Euangeli, de Adiaphoritis nihil cum illis agi posse. Vnde eodem anno D. Philippus ad Norinbergenses Theologos suo aliorumq; Vuittenbergensium nomine sic scripsit. De Adiaphoritis, ut sunt aliquæ in templis lectiones piaæ, uestitus, et similia. Item de Episcoporum authoritate et ordinatione nihil agi potest, nisi prius uere conueniat de doctrina, et rebus necessarijs. Et paulo post, anno 1543. Ioachimus Camerarius in suis Synodicis. Si de doctrina constet, et concordia ineatur, ita facile alia prosperè procedent, ut sese ipsa incitatura ac prouectura sint. Sed inexplicato negocio et neglecto consensu doctrinæ, quicquid in religione sancitum fuerit, illius schisma ac ruptura repentina, multo quam priores conuulsiones deterior, & exacialior futura est.

Sed audi quorum nunc delabuntur, dum duabus sellis sedere cupunt. Quanquam norunt, et fateri coguntur nihil minus factum esse Augustano Interim, quam ueræ doctrinæ conciliationem (Statim enim in ipso limine libri nos schismatis et defectionis aduersarij damnant, Vbi uero ad tractationem dogmatum perueniunt a iusticia fiduci ad operum, a spe æternæ salutis consequendæ propter imputationem solius Christi iusticiæ ad desperationem nos adigere nituntur, dum inherentem iusticiam peruerse do-

cent,

cent, et urgent) Tamen in declaration Lepsicæ Agendæ nobis obligannire audent, quo propius ad similitudinem Papisticorum rituum accedimus, eo nos melius facere, si forte hoc modo illos lucrari possumus, scire toutes admoniti nolentes, nullo modo Ecclesiam Christi Antichristiano cœtu conformari debere, aut posse, nec ista conformatio conuerti, Sed confirmari in impietate sua Papistas, oblii deniq; quod nos ipsi in apologia Augustana prædicamus, formam Ecclesiarum nostrarū apud nos honestiorem multo esse, quam apud aduersarios.

Ac certe si rem recta reputauerimus uia, ueram hanc esse prædicationem fatebimur, Ita bene constitutæ sunt Ecclesiæ nostræ, ut ad earum constitutionem nihil addi possit. Quo magis deploranda est eorum amentia, quod Ecclesiæ nostræ ista omnium cæremoniarum restitutione neglecti ordinis accusant, Papistas vero seruat ornant, impudenter mentientes, Misericordias actiones conuenire cum Lutheri sententia. Quod enim uir Dei Lutherus non nisi conciliatis et receptis dogmatibus faciendum esse semper censuit, id sit nunc ab illis nondum constituto consensu doctrinæ, et cum maxime aduersarij nos defectionis et innouatæ Ecclesiæ Catholicae condemnant, iusticiam in operibus et traditionibus humanis ponentes.

Detestatur Reuerendus pater in hac sententia, et D. Philippus, cum in alijs scriptis multis, tum præcipue in commentarijs prophetæ Danielis, Papæ regnum fraude, et superstitione constitutum, commonens nos, ne assentiamur isti regno Antichristi dominanti impiæ in Ecclesia Dei. At iam Missiones magna cum obedientiæ promissione

se in Lip. Inter. Pape submittūt, quasi nō sit,
nec fuerit unquam Antichristus. Qui eti-
amsi nobis Germanis ita æquus esset, ut do-
ctrinam puram et cærenonias nostras nobis
permitteret, tamen si errores suos in alijs reg-
nis retineret, et maiori Tyrannide stabiliret,
non tantum non summus Episcopus agnoscen-
dus, sed ueluti persecutor ueritatis, &
anathema proclamaudus, proscribendus, &
fugiendus esset, iuxta Pauli dictum, Qui ali-
ud Euangeliūm prædicauerit anathema sit.
Et Iohannis, Qui hanc doctrinam nō affert,
huic ne quidem aue dixeritis. Quid igitur
nonne bis stulti et impij sunt, quod isti tanto
catharmati obedientiam spondent & Perue-
lim scire causas, si istum summum pontifi-
cem (ut iam eum uocant) nunquam pro An-
tichristo agnouerunt, cur eum uoce & scrip-
tis traduxerint & Si uero agnouerūt, & si ad-
huc manet, sicuti certe manet Antichristus,
cur illi sese subiçiant &

Recte ex uerbo Dei edocti sumus,
omnia iura ministerij ad coetum amplecten-
tem & profitentem Euangeliūm pertinere,
non ad eos, qui cum persecuantur Euangeliūm,
anathema sunt. At illi laruatis Episco-
pis membris Antichristi Romani & manci-
pijs Sathanæ, Pflugio, Carolouicio, Seudonio
ius ordinandi ministros Ecclesiæ, & alia mi-
nisterij officia tradunt. Quam recte & pie,
ipſi uiderint. Non enim tales sunt Episco-
pi, quales ipſi sibi somniant. Id ex responsio-
ne hac manifestum est. Eatenus enim se sus-
cipere Lipsicum Interim responderunt, qua-
tenus cum Augustano Interim conueniat.
Vnde sciri potest, quantum fructum fece-
rint, quod contulerunt cum illis, qui (ut scri-
bunt) in ordinaria sedent potestate, & quā
pulchre

ō sit,
et i
t do
obis
s reg
liret,
nos
is, &
us, &
i ali
a sit.
fert,
gitur
anto
rue
ntifi
An
cris
ad
stus,
nus,
ten
ere,
geli
isco
nci
onio
mi
pie,
sco
nsio
sus
qua
niat.
ece
scri
quā
chre

pulchre aduersarios lucraturi simus, si ad eos
rum constitutionem Ecclesiastis nostras refor
mauerimus, seu, ut uerius dicam, deforma
uerimus. Næ isti Episcopi posteritati no
stræ, Sed quid dico posteritati, imo nobis ip
sis mercedem hisce factis dignam dabunt, ni
si Deus tantum malum pro sua immensa cle
mentia ad salutem conuerterit.

Accepi a uiro fide dignissimo, & de
Ecclesia Dei in clucubrandis Lutheri scrip
tis optime merito, statim post captum Ele
ctorem Iohannem Fridericum Christi Mar
tyrem, D. Philippum Torgæ narrasse, se in
postcrum neq; de particula Sola, neq; de pri
matu Papæ dimicare uelle. Hinc factum
esse nihil dubito, ut in Lipsi. Inte. non modo
primatū Papæ non oppugnarint, Sed etiam
obedientiam illi promiserint, & hanc scan
dalosam propositionem, cum protestatione
contraria facta posuerint, opera ad salutem
esse necessaria. Non tam, ut populo opini
onem & licentiam peccandi adimerent, quā
ut aduersarijs synecdochen fide & operibus
iustificamur, retinere uolentibus, seruirent,
aut certe confessionis disertæ pericula effu
gerent, quo, ut est in Apocalipsi, uendere, &
emere delicati Dei Martyres possint.

Hæc quid sunt, si non Belial & Chri
sti conciliaciones sunt, quæ testantur non de
lana caprina, ut habet prouerbium, non de
cantilena, aut chorali ueite, ut scribit Pfeffin
gerus, Sed de alijs magnis & necessarijs re
bus in oppugnatione Adiaphororum litem
esse, ut de non reparando regno Antichristi,
de non turbandis piorum mentibus ista re
integratione cærcmoniarum Papisticarum,
de non obscuranda uera doctrina, & attem
peranda ad uoluntatem potentum, deniq; de

non quærenda effugiendæ confessionis rima?

Profecto quod per ipsos stetisset, prodigia iam esset purior Euangelica doctrina, & regnum Antichristi Romani iterum constabilium. Quid enim an non uerui istius impiae Tyrannidis sunt primatus, iurisdictione Episcoporum personatorum, et doctrina scholastica de iustificatione? Quæ omnia Papistis profuse nimis largiuntur. Atq; ad hos neroos, & ueluti angularem lapidem palatiū meretricis Babylonicae ceu reliquam corporis compaginem etiam doctrinam de satisfactionibus renouant, ubi in capitulo de pœnitentia magnum, & inusitatum silentium fidei faciunt, præclaram uero mentionem confessionis, absolutionis, orationum, ieuniorum, clemosynarum, hoc est, canonicarū satisfactionum, ut taceam, de Missæ pompa, de Sacramentis, quorum Papistarum more septem ponunt, parum, aut fere nihil de uero eorum usu commemorantes. Eant nunc, suauiter in sinu gaudeant, uel publice etiam triumphent de conseruata ab ipsis doctrina, scribant, id quod impudenter faciunt, nihil cessisse aduersarijs, cum res ipsa & conscientia ipsorum diuersum testetur.

Requirent a me candorem in iudicando, quem tamen ipsi in scriptitandis istis Bellial et Christi conciliationibus non præstiterunt. Sed dabunt mihi ueniam, si ego uicissim plus fidei, & prudentiæ spiritualis in illis desiderem. Scio eorum intentionem. Sic affecti sunt, ut rebus accisis opem ferre, & bellorum tumultus sedare uelint. Sed quia hæc media, quibus utuntur, in erroribus & superstitione aduersarios, in desertione uero & persecuzione confessorum Christi pseudofratres

do fratres nostros confirmingant, & piorum animos turbant, nihil contra candorem faciunt, si qui eos lapsuum admonent. Quin potius ipsi candorem non seruant, si pias fraternalis admonitiones sinistre interpretantur, & iniquo ferunt animo.

Non fuit mens Aaronis discedere a uero Deo, & uerbo, cum ad sediciosam petitionem populi cessante fratre suo Mose in monte aureum uitulum conflaret, sicut textus clare dicit, ædificabat altare, & festum indicebat Domini. Sed Paulus i. Chorin. 10. ait, eum factum esse idolatram, & Moses præterquam quod horride non ut frater, sed ut Stoicus eum reprehendit, scriptum etiam post se de eo reliquit, Dominus uoluit eum conterere, Ita quantumuis illi prætendant optima que, & inculpati animi ac studij præconio se ornent, tamen cum partim diffidentia, partim prudentia carnali euacuandi crucem Christi, perinde ut Aaron impijs postulationibus potentum morem gerant, & contra uerbum Dei regnum Antichristi ac tradiciones humanas offendiculi plenas stulta opinione tranquillitatis stabiliant, adeoque religionem ad principum & suas cupiditates inflectant, multipliciter in Deum contra primum præceptum delinquunt.

Scribunt porro in declaratione, sine consensu, & contra uoluntatem Theologorum iudicium de Interim alibi editum esse, non aliter ac si dolcant, & apud persecutores deprecantur culpam editionis. Quod ciusmodi sit iudicium, non est mei instituti definire. Certe Vitus Theodorus fidelis in utne domini operarius apud Norinbergenses non multo ante, quam moreretur, ita de eo sensit & scripsit ad D. Philippum, quem admodum

admodum multi mecum norunt, qui literas uiderunt. Legi uestrum scriptum, quo nihil unquam uidi moderatius, at hæc tempora non moderationem, sed confessionem constantem efflagitant.

Hac tam indigna deprecatione moue or, quædam ut dicam, quæ alias reticuisse. Paulo ante mortem sanctæ memoriae Caspari Crucigeri, omnes Ecclesiæ Vittenbergenses ministri conuocati eramus dicendæ sententiæ causa de formula orationis Gloriæ pro Cæsare & Mauritio, de qua utinam omnes uno consensu respondissemus, sicuti placide Crucigerus suam sententiam ostendit, cum diceret, propter offensionem multorum piorum mutari nonnulla uerba posse, aut penitus omitti. Ibi dicebatur nobis, ne pro concione nominaremus Interim, Sed tantum in genere taxaremus errores Papistarum, Vnde postea alius aliter hanc sphingen Augustanā, prout affectus erat, appellabat. Eram propterea aliquandiu in magna animi consternatione: Quia intelligebam non integrum nobis esse liberas edere uoces, quales antea a Luthero, & alijs audiueram, cum similes essent præ manibus impiæ conciliaciones, & pericula ueritatis, multis de causis languefiebat animus, & sermo meus. Tandem uero me collegi, & iterum suo nomine appellare liberius, & pro mensura fidei meæ refutare istam sphingen cœpi. Ita dum pergo, ecce denuo mihi priuatim ualde friuolis rationibus adductis, dicitur, ut desisterem ab hoc proposito. Miratus sum haec tenus quorum impulsu & consilio hæc facta essent. At iam mirari desino, Misnenses Theologi tanquam forex indicio principem suum produnt, qui ut abiecit Augustæ confessionem

M. Froß
schel des
Bapsts
gaudel
sac.
M. Lucas
das neue
Buch.

fas
hil
ora
on
ie
m.
af
er
dæ
ni
am
uti
en
to
se,
ne
tan
ta
yn
la
gna
am
es,
m,
on
de
us.
no
fi
Ita
lde
de
na
fa
ses
em
on
em

fessionem Euangelij, consentiendo Interim,
& Concilio Tridentino, ac ipsis per aulicos
suos (uera et explorata dico) indicari cura-
uit, ne mentionem facerent Augustanæ Apo-
logiæ. Exasperari enim ea nominata, aduer-
sus nos Cæsar isram, ita sine ulla dubitatio-
ne prohibet, ne suis coloribus depingatur In-
terim. O præclaram fidei plerophoriam,
& animi fortitudinem. Digni essent tam
fortes Dei sui milites, qui suis laudibus pro-
rostris ueherentur.

Crede mihi, latet hic anguis in herba.
Gloriatur ipsorum princeps de confessione
Euangelij, & promittit eandem alijs. Sed
quod quis non habet, de eo uere gloriari, aut
quicquam alijs largiri nequit, decipere uero
& corrumpere simplices, sicut serpens E-
uam, sua uersutia potest. Fecit serpens an-
tiquus parentibus nostris in parædiso spem
diuinitatis, sed cuiusmodi quæso facti su-
mus Dij?

Fœlix, inquit ille, quem faciunt aliena
pericula cautum. Age igitur, sapiamus illo-
rum ictu, plus Deum timeamus quam homi-
nes, consideremus quam iustus sit Dominus,
& iustum iudicium eius. Reuelatus est his
postremis temporibus Antichristus sedens
in templo Dei. Cum autem illi minime per-
gant obedire spiritui sancto dicenti, reddite
illi, sicut & ipsa reddit uobis, quantum glo-
rificauit se & in delitjis fuit, tantum illi tor-
mentum & luctum date, sed obtemperent
magis illis, qui se adiunxerunt Babylonicae
meretricis defensoribus, & characterem eius
recepérunt, tradit Deus eos in reprobum
sensem, ut ea faciant, quæ illis minime con-
ueniunt, ædificantes ad sui ipsorum damna-
tionem, quæ cum Lutherò recte destruxerunt,

funt, probantes, quæ summe damnarunt, adeo, ut non tantum cum Aarone idolatræ, sed cum Cain quoq; fratricidæ tandem efficiantur, non modo tacito assensu, uerum etiam publicis sermonibus & scriptis.

Superioribus annis cum Cæsar coniunctis Augustanæ apologiæ bellum inferret, Deus bone, quam constantes fuerunt Pfeffingerus & Morus, quam detrectarunt orare pro Cæsar's successu, & incolumente, quam insectati sunt Papam Antichristum cum suis membris, uastationem Germaniæ, effusionem innocentissimi sanguinis, stupra honestissimarum matronarum & uirginum, & alia tetra facinora. Est typis excusa corum epistola. Hæc fidem facit uerbis meis, Ac tum in dubio adhuc multis erat, an religionis nostræ causa arma coepisset Cæsar. Nunc cum quid sibi quæsiuerit constet, cum per Concilium Tridentinum, ac nefandum Interim ad abiiciendam doctrinam nostram fraude & ui nos cogere studeat, securi in utramq; aurem dormiunt, & non tantum non pro officio suo hanc bestiam facientem, ut quicunq; scortari non uoluerint cum meretrice Babylonica occiduntur, arguunt, uerum etiam summis eam, asseclasq; eius laudiis uehunt. Adeone mutantur homines impio metu, & excoecantur potentius muneribus etiam doctorum & sapientum corda?

Exhorresco quoties cogito, quantis mendacijs Morus pro contione impie & scelerate hanc urbem onerauerit, quam miris modis ad extirpandam eam ferro, igni, & omni genere persequutionum, nobilium animos in conuentu proximo Torgensi, Diabolii non Christi spiritu inflammare studuerit, oppignorata etiam animæ suæ salute, omnes qui

qui uolenter illi manus attulerint, obsequium se præstare Deo, tantum, quia diuinitus in statione sua relicta, cum meretrice Babylonica scortari non uult, & scortatoribus fortiter resistit.

Christi spiritus per apostolum inquit, Quod si quis suis & maxime domesticis non prouidet, fidem abnegauit, & infidelis est deuterius. Et per Iohannem, si quis dicit, diligo Deum, & odit fratrem suum, homicida est, & mendax. At Moro nos fratres, pro quibus exemplo Christi sanguinem fundere iubetur, ita neglectui et odio sumus, ut sanguinis nostri sicientissimus sublatos nos primo quoque tempore cupiat. Quo igitur spiritu ducatur, facile aestimare est.

Fuit & in D. Georgio Maiore similis animi celsitudo. Excommunicauit is publico scripto Cæsarem, exagitauit in præfatione psalterij Mauritium, & eius socios, ut qui cum recte sentire uellent, tamen cupiditate dominandi, & augendæ potentiae inflammatis, stipati barbararum, & impiorum gentium armis & præsidij, hospitia Ecclesiæ, & optimarum artium domicilia deuastarent, & horribiliter matrem Ecclesiam lacerarent. Veritatem dico suis uerbis, quæ in secunda editione expungi mandauit, Nam (ut scribunt authores declarationis) istius tanti delicti Lipsiæ illi data est uenia, cum magno argenti pondere.

Sed ecce in ipso confictu cum se hostis maxime declarat, quid sibi uelit, iste fortis Thrasidilus ipso lepore fit formidulosior & fugitor, abnegat & abiicit arma, quibus antea anathemate recte percussit reges terræ, dicit & scribit sub nouo principe subita metamorphosi transmutatus, Si bella sunt inter

Inter politicos gubernatores nihil ad se, & Ecclesiæ ministros pertinere. Quis quæso horum uerborum atrocitatem exprimet? Primo, quia eo tendunt, ut aduersus hanc urbem Tyrannidem principum excusent, & augeant, quam nouit Maior non propter politicam causam, uerum propter eandem Euangelij confessionem, quam adhuc præstat Christi Martyr captiuus Elector, oppugnari. Quanquam contra conscientiam alias belli causas nunc sibi singit. Deinde, quia tollunt Antinomorum more primam ministerij partem, non esse scilicet prædicandam legem, non esse dicendum politicis gubernatoribus cum Iohanne Baptista, non licent hæc uobis. O uens, ueni, ueni Domine Iesu ad iudicandum populos, & abbrevia dies istos malos, alioqui non fiet salua ulla caro, etiam electi tui seducentur.

Vere sicut secundum prophetias in hac extrema ætate mundi omnia regna fiunt testacea, & plena atrocissimorum uitiorum, Ita Ecclesia senescens, multisq; miserijs fracta & debilitata uirtute & robore suo destituitur, quemadmodum scribit in præfatione Maior. Non est ea fidelitas in ministerio summis Ecclesiæ gubernatoribus, & perseverantia in confessione ueritatis, quæ fuit prophetis, apostolis, & alijs Episcopis in primiua Ecclesia.

2. Para.
lip. 19.

Euseb hi-
sto: Eccle-
sias. tri-
parti. lib. 9. cap. 30. Cum Iosaphat propter affinitatem constitutam socia arma idolatræ regi Ahab iunxit, grauiter eum propheta Iehu obiurgauit, & ad pœnitentiam reuocauit. Cum in urbe Thessalonica quodam subito paucorum tumultu interfici essent pauci milites, & Theodosij imperatoris mandato interfici essent septem millia hominū S. Ambro-

slus



ſius Theodosium non ante ad communio-
nem admissit, quam dolorem suum per publi-
cam poenitentiam ostendisset. Liberius E-
piscopus Roman⁹ cum ſolum uertere, quam Hist. Ec-
obedire imperatori hæresi Arianæ ut sub- clesiaſt.
ſcriberet iubenti mallet, legato qui nomine tripart.
imperatoris & eius coniugis in expenſas mil lib. 5. cap.
le ſolidos deferebat, dixit, uade, redde eos im 17.
peratori, ut inde numeret ſtipendia militi-
bus. Cumq; his remiſſis Eusebius Eumichus
altos ei obtuliffet, illi quoq; dixit, totius or-
bis Eccleſias deſolaſti, & mihi tanquā dam-
nato hæc adfers, uade, diſce prius Christia-
nus eſſe.

Nunc quid faciunt iſti Doctores qui
humeris ſuis cœlum quaſi portare uifſi ſunt,
uideriq; adhuc uolunt? Quid? Non recu-
ſant, ut Liberius munera, ſed auide uenan-
tur, & arripiunt, illis arreptis, impiorum
cauſam iuſtificant, quam prius ſumme dam-
narunt, nihil morantes prophetæ commina-
tionem. Væ uobis qui iuſtificatis pro mu-
neribus impium, & iuſticiam iuſti aufertiſ
ab eo, adeo non reuocant lapsos & excom-
municatos ab iſpſis ad poenitentiam, ut illos
perſeuuerantes in perſequitione Christiano-
rum non modo pro membris ueris Eccleſiæ
habeant, & in publicis precibus ac contio-
nibus laudent, ſed etiam ad fundendum plus
ſanguinis Christiani animent.

Huiusmodi dorophagis, & mutis ca-
nibus latrare non ualentibus nihil eſt quod
magis optem, quam ut hanc Bernhardi Ab-
batis admonitionem miſſam quondam ad
Clerum in concilio Remensi congregatum,
diligentius expendant, & ad ſe quoq; ſcrip-
tam putent. Dico, inquit, uobis fratres mei
Episcopi, multum exaltauit uos Deus, uos

estis lux terræ, uos estis lux mundi. Ego dixi
Dij estis, Veruntamen sicut homines morie-
mini. Fratres duo mala magna restant no-
bis, mors & iudicium. Dura est conditio
mortis, & ideo rarus est qui uelit mori, Vn-
de uero cadent, uel quo, De latere Domini in
prosundum inferni. Fratres, aliam syno-
dum denuncio uobis, ubi Dominus sedebit
in iudicio, & ibi oportebit nos omnes praes-
sentari, & ibi iudicabit orbem terrarum. Hic
includitur iustitia in marsupio, ibi iudicabi-
tur iusto iudicio, & ibi oportet nos praesen-
tari siue sit Papa, siue Cardinalis, siue Archi-
Episcopus, siue Episcopus, siue diues, siue
pauper, siue doctus, siue indoctus, ut referat
unusquisque quod gessit in corpore suo, siue
bonum, siue malum. Iam si reddenda est ra-
tio eius quod quisque gessit in corpore suo, heu
quid fiet de his quæ quisque gessit in corpore
Christi, quod est Ecclesia? Hæc ille.

Deum autem testem facio, me hæc nul-
la morositate, nulla ambitione incitatū, nul-
la animi malevolentia suffusum ad ullius con-
tumeliam, sed plane simplici studio admo-
nendi causa dicere, partim, ut qui stat uide-
at, secundum admonitionem apostoli, ne ca-
dat, partim, ut illi cogitent, quales ante fue-
rint, & quales hoc tempore cibrationis no-
stræ efficiantur.

Hist. Ec-
clesiast.
tripart.
lib. 6. cap.
30.

Cum Julianus apostata intellexisset
antecessores suos Tyrannide & persecuti-
one adeo parum in delendo Christianismo
profecisse, ut etiam larga Christiani sanguis-
nis effusione numerum Christianorum au-
xerint. Rigabat enim tum sanguis Marty-
rum Ecclesiam, semenque erat fidelium, a tor-
mentis homo facinorosus aliquandiu absti-
uens, ad miras fraudes, & technas se se-
uertit.

dixit
orie
t no
ditio
Vn
ini in
yno
debit
præ
. Hic
abi
sen
archi
, siue
ferat
siue
t ra
, heu
pore
nul
nul
con
mo
ide
ca
fue
no
llet
uti
smo
gui
au
ty
or
ti
on
tit.

uerit. Sic etenim de eo scribit Eusebius,
Imperator etsi dabat operam, ut paganis-
mum in omni sua ditione dilataret, Tamen
aperte subditis uim inferre erubuit. Ideo
ut ad paganismum milites insuescerent ad
priscum schema reformauit uexillum subli-
mius Romanorum, quod Constantinus in
formam crucis mutauerat. Abolita enim
imagine crucifixi Christi depingi in eo cura-
uerat Iouem, Martem, Mercurium. Id ima-
ginibus istis agens, ut sub occasione imperij
latenter adorarentur Di gentiles, & hoc
modo subditi clanculum fallerentur.

Prorsus idem faciunt nostri Juliani:
Defecerunt ad nos & Christi hostes.
Promiserunt instaurationem Interim, Et in
hoc sedulo incumbunt, ut stent promissis.
Quia uero manifesta ui subditos suos regno
Antichristi nec audent, nec possunt subiuga-
re, tentant id dolo, & priscum schema, hoc
est, Papatum, plausibilibus quidem, sed ta-
men ementitis Adiaphoris introducere stu-
dent. Horum conatus adiuuant summi isti
sacerdotes, quemadmodum olim Alcimus,
Iason, Menelaus adiuuerunt Antiochos.

Vide igitur lector ut bonum decertes
certamen, fidem quam debes Archiepiscopo
tuo, Iesu Christo seruatori nostro, præstes.
Pauci tum cognoverunt dolum, scribit Euse-
bius. Idem & nunc fit. At cogita in ex-
tremo iudicio maiori tibi saluti, & honori
fore, si in numero paucorum istorum, quam
turba transfugarum inuentus fueris.

Idem Julianus cum imperialia dona Hist. Ec-
clesiast. militibus dispergit posita ante ipsum thu-
re iussit, pari fallendi studio, ut milites Chri- lib. 6. cap.
stiani primo incensum offerrent, Sed tum 30.
quod pauci suam confessionem, & fortitu-

dñem ostenderunt, & neç incensum offerre,
neç donum accipere ab eo uoluerunt, pluri-
mi siue spe lucri capti, siue timore turbati,
siue repentina iussione præuenti etsi dolum
subesse animaduerterunt, tamen paganis-
mum declinare nequuerunt. Hi cum in
mensa inuocarent Christum, dixerunt alijs
fratres. Quid est, quod inuocatis Christum
quem paulo ante denegasti, cum donum ab
imperatore accipientes thus in ignem mitte-
retis? Hac abnegatione illi cognita protinus
dolore & pœnitentia ducti exilierunt, et pa-
lam professi sunt, se Christianos esse, mane-
re, & si quid factum esset, per ignorantiam
factum esse, solamq; manum (si id dici pos-
set) paganam esse, conscientiam uero nihil
simul egisse. Aurum quoq; quod acceperant
ante pedes proiecerunt imperatoris, poscen-
tes, ut reciperet, quod dedisset.

Ardentissimis uotis opto, & Deum
patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut
fratres nostri lapsi similem omnes agant pœ-
nitentiam, & cœteri qui hactenus non flexe-
runt genua Antichristo Romano, ita ut cœ-
perunt pergant, sint fideles usq; ad mortem,
& accipient coronam uitæ.

Quod superest, non me præterit, mul-
tos esse excellentioribus dotibus præditos
& conspicuos, qui & de Interim et de Adia-
phororum fraudibus abunde satis Ecclesiam
admonuerunt. Nihilominus tamen & me-
am hanc qualecumq; uigilantiam & ope-
ram ad ædificationem corporis Christi, &
destructionem Papistici regni, ad conserua-
tionem purioris religionis & doctrinæ no-
stræ conferre uolui. Recte in præfatione Bi-
bliorū. S. Hieronymus, in templo Dei unū
quemq; ad constitutionem tabernaculi at-
tulisse

tulisse quod potuit, aliis aurum, argentum,
& lapides pretiosos, aliis byssum & purpu-
ram, aliis pelles, & caprarum pilos. Ita &
ego pilos exiguos caprarum pro mea tenui-
tate hanc meam fraternalm admonitionem
Ecclesiæ offero, & ut sit offertorium accep-
tum toto pectore Deum omnis pacis & con-
solationis oro.

Tu Christiane lector quisquis es ani-
mum meum quam optime de te mereri cupi-
entem agnosce, & caue, ne quouis doctrinæ
uento circumferaris, sed agnita uera senten-
tia in ea acquiescas, & depositum, hoc est,
illustratum a Luthero Christi & Apostolo-
rum doctrinam per spiritum sanctum custo-
dias, neq; prius cum sancto viro Luthero
Papæ ex scripturis sanctis conuicto Anti-
christo amicus fias, doctrinis & constitutio-
nibus eius assentiens, quam ueritatem Euan-
geliū receperit. Ora quoq; pro hac nostra
Bethulia, quæ hactenus nos periculo suo ab
idolo abominationis & desolationis Papis-
ticæ defendit & conseruauit, quod impruden-
ter in templum restituissent isti, qui in op-
pugnatione Papatus secundum Lutherum
primas merito suo tenent. Quorsum enim
deduxissent rem, si absq; hac Bethulia fuis-
set, nemo sanus ignorat, qui formidinem, &
consternationes ipsorū nouit. Dura & plus
quam Turcica in confessu doctissimorum
uirorū quidā Holofernes illi minitatus est,
sicut paulo ante dixi. O nos stolidos et effœ-
minatos Lutheranos. Papistæ omnes omnia
sua cōsilia & auxilia conferunt, nos ut cuer-
tant, Nobis nō tantū est cerebri & animi, ut
illatā uim & iniuriā propulseam⁹, Quin etiā
in nostra uiscera grassamur. Non igitur mi-
rum erit, si huius stultitiae & mollieci gra-

ues Deo in hac & futura uita pœnas daturi,
& illud stultorum occenturi simus, non
putassemus sic res casuras. Mag-
deburgæ, Dominica Loetare,
Anno 1551.

AD EISLEBIVM.

CVM TE MVLTIS, BONE VIR,
diuinis donis exornatum, & omni doctrina
liberali perpolitum esse multi ex tuis prædi-
cent, non possum adduci ut credam, tantam in cor-
tuum malitiam cadere posse, ut nullam salutis tuæ
æternæ rationem habeas, tantum abest, ut cogitem,
te aliorum admonitionem auersari. Itaq; naturæ
tuæ bonitate, & eruditione fretus ad te uenio, &
familiariter per has literas tecum colloquor, etiam
atq; etiam uehementer rogans, ut eo quo à me fi-
unt animo accipias omnia, beneuolo utpote & fra-
trem Christo lucrari cupiente.

Legi quoddam scriptum & iudicium tuum
de Augustano libro, quem appellant Interim, ad
equitem auratum à te missum, in quo primum uerè
& rectè scribis à Reuerendo & benedictæ memo-
riæ patre nostro Martino Lutherò diuino spiritu
excitato his postremis temporibus renouatam esse
Euangelij lucem, quæ densa caligine sub Papatu
obruta erat. Verum quod subiungis & asseris per
hoc In-

hoc Interim ueræ doctrinæ, quam diuinitus illu-
strasse uirum Dei Lutherum omnibus sanis constat,
conciliationem factam esse, id à ueritate, ne quid
grauius dicam, alienissimum est.

Non solum enim nouo quodam fuso mani-
festos abusus omnes , à nobis hactenus iuste damna-
tos,iste liber defendit,sed ita etiam articulum iusti-
ficationis circumscribit , ut nihil aut certè parum à
ueteri commento de merito congrui & condigni,
de fide formata , ex informi discrepet.

Id longiori declaracione aut probatione non eget. Aduersarij ipsi in p̄fatione fatentur, hoc consilium conciliationis, si in Christiano, hoc est, ut ipsi intelligunt, Papistico sensu accipiatur, non abhorrere à ueteri religione, papistica scilicet, quam Catholicam falsò nominant, ab Ecclesiasticis doctrinis, statutis, & ordinationibus, exceptis duobus articulis communione sub utraq; specie, & matrimonio sacerdotum. Ac propterea hortantur status, qui hactenus doctrinas, ordinationes & statuta illa (hæc enim ipsorum sunt uerba) obseruarunt, ut & in posterum ea obseruent, & nos nouis dogmatis, & catholicæ Ecclesiae desertionis condemnant.

Hinc ipsa luce clarior est, te uim magnam
facere commentarijs sancti uiri Lutheri, ex quibus
tuam assertionem probare niteris. Non fuit ille
arundo uentis agitata, neq; unquam polinodianz

doctrinæ suæ cecinit, quemadmodum uel ex ipsis
commentarijs intelliges, si mentem illius penitus in=
trosplexeris. Mutilatim enim quæ pro te faciunt,
nulla adhibita consideratione, in quam sententiam
dicta sint, excerpis. Qua de re pluribus ad te scri=br/>bam, si has meas literas gratias tibi fuisse cognoue=ro.
Nunc breuitatis studio multa silentio transeo,
et præcipue argumenta, quibus plausibiliter sim=br/>plicem lectorem circumuenire cupis, ut fucosæ isti
conciliationi assentiatur.

Hanc tamen nimis callidam technam, qua
uteris ad comprobandam et stabiendam impiam,
et idolatricam missationem papisticam, tacitus
præterire nullo modo possum. Sic enim inquis, Si
adhuc nobis superstes esset Lutherus, et audiret,
concessisse aduersarios, Missam esse sacrificium non
propiciatorium, sed commemorationum, seu eucha=br/>risticum, decem præ gaudio annos uitæ suæ adjice=ret.
Nihil enim æque desperauit, quam id eos un=br/>quam concessuros.

Longum foret, si aut bene conditum hoc
mendacium firmis rationibus refellerem, aut saltem
mentionem facerem pientissimæ exhortationis uiri
Dei, qua anno 1542. nos omnes ad crebram et
dignam participationem corporis, et sanguinis
Iesu Christi, cum illustri confutatione huius uestri
figmenti exhortatus est, Tantum igitur tibi ad
animum renderabo ea, quæ ad te, et Spalatinum
optimum,

psis
in-
nt,
am
ri-
ue-
eo,
m-
isti
ua
m,
tus
Si
et,
on
a-
e-
n-
oc
m
ri
T
is
ri
d
m
1,
optimum, & doctissimum virum in conuentum Au-
gustanum ante annos 20. scripsit, cum simili astu-
tia stabilitam uellent aduersarij theatraicam suam
Missam, quæ si in memoria habes, non dubium est,
quim contra tuam ipsius conscientiam loquaris.
Nam longe aliter se res habet atq; tu dicis, longe
aliter & sensit & scripsit Lutherus. Idq; ut ita esse
credas, audi quæso iam ipsum loquentem. Nihil mi-
nus sentio, mi Spalatine, quam priuatas Missas re-
tineri debere, quocunq; etiam nomine. Si boni
sunt, qui gratiarum actionis causa dictitant reti-
nendas esse, tentantur cogitationibus carnalibus.
Gratiarum actionis abunde est in missa publica,
Deinde si qui uolet omni tempore, ut non sit missa
priuata opus. Est enim scandalum sicut fuit E-
phod Gedeonis. Deniq; Christus instituit publi-
cam missam, Et omnia uerba sunt pluralis numeri
ad Ecclesiam prolatæ. Nec gratiarum actio, &
cultus Dei nouus sine uerbo est erigendus.

Audis quam firmissimis rationibus ipse te
refutet, & mendacij arguat. Quare te per Chri-
stum quem in baptismo utriq; induimus monco, &
obtestor, ut dum tempus est resipiscas, tecumq; co-
gites, quanto in periculo æternæ tue salutis uerse-
ris, quod te hostibus Euangelijs specie quadam con-
ciliatæ doctrinæ coniungis, & reum facis tot scan-
dalorum, tot persecutionum piorum principum,
& doctorum, quorum quidam cum coniugibus, &
charissimis

charissimis liberis exulant, quidam trucidantur, quidam capti detinentur, & haud dubie ad exquisita supplicia reseruantur.

Esto, concederint nobis multa aduersarij. Sed in hac ipsa concessione retineri neruos Papatus manifestissimum est. Nostri ambiguam formulam insyrmensi synodo τεργί τοῦ ομοίου legendo propositam & receptam. Quæ quid peperit? Nonne confirmati per eam Ariani sunt, imbecilles uero perturbati, cum ex uaria interpretatione maius incendium oriretur?

Non dissimilem esse exitum fucatæ uestra conciliationis experientia testatur. Væ igitur fabricatoribus huius nefandi Interim, quorum te unum esse profiteris. Non enim te tantum interfuisse, sed præfuisse etiam isti corruptelæ purioris doctrinæ ad amicos, quasi re bene gesta, triumphans scribis. O miseros homines, qui emulatione, ambitione, auaritia, & prauis opinionibus fascinati in omnis generis peccata præcipites ruunt. Resipisce quæso, resipisce, nec diuitias bonitatis, tolerantiae et lenitatis Dei contemne.

At scribis, ut ut est, fateor, aduersarios dolomalo nobiscum agere, nec seriam reformationem doctrinæ querere, sed quid hæc ad nos, quibus sat esse debet, ut quoquo modo prædicetur Christus, teste apostolo ad Philippenses?

Fer me liberius tecum loquentem. Toto
cælo

cœlo erras, & male' huc, ne dicam impiè dictum
apostoli detorques, quod sicut ille longe alijs affli-
ctionibus pressus post se reliquit, Ita neutiquam ul-
li hominum quiduis hostibus ueritatis de Euangelio
lardiendi concedit. Per magni referre Christus sal-
uator noster nos docet, ut in suo tam sacro sancto
ministerio simus prudentes sicut serpentes, & sim-
plices sicut columbæ, in quo non de imperio, non de
gloria huius mundi, sed, ut ipse scribis, de salute ani-
marum, de Euangelio, de gloria Domini nostri Iesu
Christi dimicamus.

Est autem prudentiæ nostræ, ut totum do-
ctrinæ corpus integrum & incorruptum contra
falsos & insidiosos Doctores defendamus, non ali-
ter ueluti serpens astutissimè tegit, & abscondit
caput suum, & uitat quæ ei nocere possint. Sim-
plicitatis uero, ut nullis iniurijs temporum aut ho-
minum uicti munus nostrum uera docendi falsa di-
uellendi abijciamus, sed quo magis ingratus mun-
dus pro summa fidelitate nostra omni probro &
malo nos afficit, eò diligentius nos nostrum offici-
um faciamus, & omnibus pariter bonis & malis
prodesse studeamus docendo, monendo, arguendo,
instando tempestiuè, intempestiuè, sicut columbæ
pro sua simplicitate tam alienos, quam suos foetus
fouent, & educant.

Iam cum doctrinam de uera poenitentia,
fide, iustificatione, invocatione, usu Sacramentorum,

atq;

,qui-
uisita
sarij.
patus
im in-
pro-
onne
uero
s in-
estra
r fa-
te u-
rfu-
do-
hans
nbi-
ti in-
pisce
e et
lolo
nem
s sat
tus,
lab
oto
xlo

atq; alijs partibus ueræ doctrinæ, quæ Dei benefi-
cio patefacta est per Reuerendum patrem nostrum
Martinum Lutherum, tetris tenebris inuoluere non
modo permittas, uerum etiam adiuues, cum ad tam
paruum fortunæ conflictum ad aduersarios te in-
flectas, & nos fratres tuos deseras, & lupis lanien-
dos obijcis, quam caute, & circumspicte secundum
regulam Christi & apostoli ambules, quamue sim-
plicitatem sequaris, tute cogita.

Neq; tamen eo inficias, sermone & literis
quorundam ad me perlatum esse, te ad saniorem
mentem rediisse, nec iam omnia libri Augustani pla-
cita defendere, sed sententiæ nostræ de iustificatio-
ne uicissim subscribere, Missæ Canonem reiwcere, &
pro matrimonio sacerdotum fortiter depug-
nare.

Verum scito, te ne sic quidem Dei indigna-
tionem, & bonorum reprehensionem effugere, ac
contractam maculam delere. Siquidem nondum
conciliatis dogmatibus, de quibus controuertitur
suades & urges, ut inepta, explosæ, & supersticio-
nem secum trahentes cœremoniæ Papisticæ omnes
in Ecclesiam Dei reuehantur. Satis hoc probatum
& spectatum est exemplum, te nondum recto pede
ad ueritatem Euangeli consuandam, & ad poste-
ros propagandam incedere.

Quid alij iudicent nihil in præsentiarum
dicam. Ego non omnia uerè approbantis quæ an-
tea con-

te a contra Papam, doctrinas, & traditiones eius
declamauit, multo minus constantis doctoris esse
statuo, præbere ob uentris commoda collum iugo,
de quo & nos olim, & patres nostri grauiter que-
sti sunt, aut nolle in ea libertate stare, in quam Chri-
stus effusione sui sanguinis nos asseruit, & vindi-
cavit.

Sedulum extirpatorem omnium plantatio-
num Papisticarum, quas non plantauit pater noster
cœlestis te sub initio restaurationis uerae doctrinæ
fuisse gloriaris. Cum eas nunc iterum Ecclesiæ in-
serere coneris, nonne in odium omnium, & uitupe-
rationem merito incurris, ut qui aulicis illecebris
delimitus ex eodem ore calidum & frigidum efflas,
& aliud stans, aliud sedens loqueris?

Sed ne mei oblitus inclementius aliquid ad-
uersus te dicam, ad id de quo uolui instituere ora-
tionem reuertar. Deceptus est Sathan, at non de-
fatigatus, Voluit nos præterito bello è medio tol-
lere, & Euangelium gloriae magni Dei eradicare.
Verum non per omnia illi successit quod egit. Ideo
ex insidijs denuo nos aggreditur, dum characterem
bestiæ in frontem nobis inurere, hoc est, disciplinæ
& exercitij causa sub prætextu Adiaphororum
omnes Antichristi Romani ritus sensim nobis ob-
trudere conatur, quos si receperimus, sperat, se pri-
stimum regnum suum, & carnificinam conscientia-
rum recuperaturum, sicut fidelis eius minister Ca-
nonicus

nonicus Brandenburgensis dixit, nunc relictis obsti-
natis Lutheranis pœdagogiam cum infantibus in-
stitui, ubi obdurati illi è uiuis excesserunt, facile se
ad ueterem suum statum peruenturos.

Non omnino uanam esse hanc spem Sathana,
et uetera, et recentia exempla nos erudiunt.
Adeo traditionum humanarum semper comes fuit,
est, et erit syncerioris doctrinæ deprauatio, et ob-
livio beneficiorum Christi, qui solus est iusticia no-
stra.

Scis bono zelo et ab omni superstitione alie-
no Gedeonem Ephod fecisse. Quia monumentum
seu memoriale illud esse uoluit concessæ à Domino
uictoriae, et mirandæ liberationis. At quanti mali,
et ruine occasionem dedit, cum homines eo ad for-
nicationem et idolatriam abuterentur? Scis et in
hunc finem serpentem æneum conseruatum esse, ut
memoria et celebratio conseruaretur salutis illius,
quam Deus in deserto populo suo exhibuit. Sicq; à
patribus nostris simplici studio et bono animo mul-
tas traditiones factas esse, malo uero euentu ad nos
posteros suos, qui consuetudine et authoritate do-
centium uicti multa superstitiosè fecimus et obser-
uauimus, arbitrantes regnum Dei esse potum, ci-
bum, et multarum cœremoniarum obseruationem.
Itaq; sicut serpentem pientissimus rex Ezechias
confregit, et Ecclesiam sui temporis ab idolatria
repurgauit, ita à nobis rerum bonarum abusus, si-
mul

mul cum traditionibus hominum superstitionis uerbo Dei damnati, & multis in locis prorsus aboliti sunt, atq; Ecclesiæ nostræ, quantum fieri potuit, ad Apostolorum, & qui Apostolis proximi fuerunt formam, ac gubernationem reformatæ.

Nunc cum eas in Ecclesia uel nauseantes uel præuaricantes uerbum Dei, uel hominum & periculorum metu fracti reuocemus, quid quæso uir bonus, & de doctrina ac posteritate anxiè sollicitus peius metuat, quām ne ad Antichristi regnum posterritas nostra relabatur? Me certe uestigia terrent. Itaq; cum in hanc cogitationem uenio, & præsentia ac futura pericula, quæ impendent nobis ac posteris nostris mecum reproto, toto cohorresco pectori. Neq; dubito omnes pios consideratione istorum malorum pari animi ægritudine affici, qui non cœca suspicione, ut quidam philosophica moderatione tumentes arbitrantur, sed haud dubie spiritus Dei & experientia moti timent, ne nimium bona nostræ rationes conseruandi per ista media Euangeliū, nos omnes fallant, & subuertant.

Non est de nihilo, quod Christus nos caure iubet à fermento phariseorum, intelligens doctrinas & traditiones hominum in hypocrisi loquentium mendacium. Nam quemadmodum modicum fermenti totam massam inficit, & acidam reddit paulatim serpendo, deinde massam subactam rarefacit, rarefactam attollit, & inflat, postremo farine

farinæ cui addita est adeo pertinaciter inhæret, ut non possit elui, & separari, ita falsæ doctrinæ & traditiones hypocritarum primo nobis blandiuntur. Habent enim speciem ueræ doctrinæ, & disciplinæ. Deinde tanquam cancer, ut inquit apostolus, serpunt latius. Post ubi prorepserunt nos inflare, magnaq; persuasione, & neglectu meritorum Christi induere incipiunt, Quo induiti difficulter sanari possumus, Id quod in excœcatis & obdurtatis nostris monachis cernimus. Facilis enim est, ait Sybilla ad Aeneam descensus inferni, at reuocare gradum superasq; euadere ad auras, hoc opus hic labore est.

Propterea ingenue fateor, me tibi uerè irasci, quod audio te damnare, & ministerio abdicare illos, qui aut recipere nolunt ista Adiaphora uestra (sic enim hanc impiam cœremoniarum receptionem appellas) aut non recipienda esse contendunt ad nauseam illud repetens, huiusmodi homines prout sunt indocti & leues excolare culicem, et deglutiire camelum. Nescio quam rectè in illos hoc proverbium à te conferri soleat, hoc uero scio, permagna et necessaria suscipere omnes, quales quales sint, qui hoc tempore rabiosissimo excubias agunt ne insidiosi hostes, & lupi rapaces gregem Domini nostri Iesu Christi inuadant, & deuorent. Principijs obstandum esse ipsa ratio nos docet. Sero ouibus succurrit pastor, cum lupus in ouili grassatur, deglubit, & uorat oues.

Ais

Ais satis turbatas esse policias. Publicæ igitur tranquillitatis causa isti cœremoniarum restitu-
tioni potius assentiendum, quam nouum bellum at-
trahendum esse, atq; his uerbis hominibus de reli-
gione Epicureorum more non sollicitis, & perse-
quitionem auersantibus in hoc mundo satisfacis, at
coram Deo sane turpiter te das. Quia enim car-
nem sapiunt, abominatio sunt coram Deo.

Prorsus indigna uox est quolibet Christia-
no, nedum te tanto doctore, dicere, his falsis Adia-
phoris maiores turbationes pœcaueri debere.
Non enim facienda mala sunt, ut eueniant bona.
Malum autem & impium est, Antichristiano cœtu
cedere, & illi se uentris causa conformare. Chri-
stus & Apostoli tantum abest, ut obstinati Phari-
sæis cesserint, & sese ad uoluntatem eorum in ob-
seruandis Mosaicis ritibus accommodarint, ut offens-
sos magis ac magis offendere pergerent. Horum
uestigijs insistere debemus, nec in gratiam obstina-
torum Papistarum, Etiamsi totus mundus illabatur,
receptione nostra, & similitudine Antichristiano-
rū rituū ueram doctrinā in discrimen, aut dubiū uo-
care, & infirmorum fratrum in nostro & Papisti-
co cœtu existentium, fidem & inuocationem turban-
re, cursumq; Euangelij impedire, sicut te facere mi-
hi nullum dubium est. Noti enim mihi sunt fratrum
multorum gemitus. Nec diu est, quod mihi nobilis
quidam Polonus eruditione & uirtute præstans,

C

dixit,

dixit, Cum in comitijs laudatissimæ suæ gentis inter
cœtera à quibusdam pijs mentio de reformatione
Ecclesiæ & prædicatione purioris doctrinæ facta
esset, respondisse Episcopos, non esse huius rei ullam
suscipiendam cogitationem, cum iam Lutherani
tanquam lapsi Romanæ Ecclesiæ se conforment.

Finem hic dicendi facerem, nisi prætexeres
te nō in gratiam aduersariorum hanc restitutionem
cœremoniarum urgere, sed ut principibus & con-
siliarijs hanc moderationem proponentibus obtem-
peretur. Praetermittere enim non possum, quin,
quis meus & de hac re sit sensus, tibi me declarem,
quantumuis periculosem sit hoc tempore, quo ius
est in armis, aperte dicere quid sentias.

PRIMO. Manifestius est, quam ut negari
possit ὅτι οὐτασ nostros dum uitare uoluerūt Cha-
rybdin, incidisse in Scyllam. Nam supremo magi-
stratui obtemperantes partim errore, partim cupi-
ditate augendæ potentiae & dignitatis optime de
Ecclesia meritos, & arctissimo consanguinitatis
uinculo sibi iunctos, inaudita causa, contra omnes
humanas & diuinæ leges parricidiali bello con-
demnare, persequi, & regnis suis exuere adiuue-
runt. Quo horrendo peccato non solum Germani-
am in turpem seruitutem, sed quod longe maius est
& ueram religionem in maximum adduxerunt pe-
riculum, adeo, ut & ipsi impio Interim subscribere,
& Concilio Tridentino plus quam impio se subi-
cere,

cere, & alios ad similem defectionem se cogere uel-
le, promittere coacti sint. Consiliarios uero nonnul-
los esse planè θέοντας, & Epicuri de grege por-
cos, nonnullos hypocritas, qui rebus suis, & idolis
dediti pluris Mammona, & traditiones hominum,
quam synceram Euangeliū uocem, faciunt. Et si qui
sunt, qui piè sentiunt, id aut apertè non profiten-
tur, aut ad deliberationes non adhibentur, & ut
maximè uocati ueras sententias dicant, tamen recta
& salutaria suadentibus alij non obediunt.

Tales cum sint, qui à nobis restitui ueteres
ritus postulant, non video, quomodo nos conciona-
tores bona conscientia cum tot scandalis, perturba-
tione, & languefactione piarum mentium morem
illis gerere aut gratificari possimus, nisi ipsorum
peccatis communicare, & sœ uitiam aduersus pios
& apertos confessores Christi adiuuare & confir-
mare uelimus, id quod multis in locis scripturæ fa-
cere prohibemur, cum præsertim nulla signa edant
ueræ pœnitentiae, & constantis perseuerationis in
Augustana apologia, conuicti etiam, se phaleratis
dictis & scriptis circumuentos esse ab Antichristi
vassallo, qui bellum geri non opprimendæ doctrinæ
nostræ, sed puniendorum contumacium causa præ-
tendit.

Quæres, quid igitur faciendum, an non tem-
pori inseruendum censeam, ne cincti undiq; tantis
difficultatibus maiores nobis accersamus?

C 2

Cicero

inter
tione
facta
illam
erani
it.
ceres
onem
con-
tem-
quin,
rem,
o ius

gari
Cha-
agi-
cupi-
ne de
tatis
nnes
con-
uue-
nani-
s est
pe-
ere,
ubij-
cere,

Cicero quidem ut homo politicus alicubi
differit temporibus assentiendum esse. Nunquam
enim, ait, præstantibus in Rep. gubernanda uiris
laudata est in una sententia permancio. Erudite
quidem ille, & sapienter. Sed ista interdum locum
habent in politica administratione, non Ecclesiasti-
ca, in qua amissis exquisitissima & lucerna pedibus
nostris est uerbum Domini, non permittens nobis,
ut ueluti nautæ obsequuntur tempestate, sic nos quo-
q; ad arbitrium hominum nosmctipsos fingamus,
neq; idem uerum semper aut sentiamus, aut dicam-
mus.

Propheta Ezechiel tibi & omnibus conci-
onatoribus aliam normam ex professo præscribit
cap. 3. Item 33. Si igitur quid facto opus est ex a-
nimо scire expertis, lege Prophetam, et saluabis ani-
mam tuam, si officio tuo fungens dominis tuis dixe-
ris non posse illos duobus dōminis diuersa mandan-
tibus seruire, nec simul poculum Domini nostri Ie-
su Christi, & dæmoniorum bibere, sicut Iohannes
baptista neq; carcerem, neq; mortem ueritus Hero-
di intrepide dixit, non licere illi fratribus sui uiui uxo-
rem habere.

Si hanc regulam prophetæ, & constantiam
illius, qui plus fuit quam propheta sequereris hor-
tando principem, & aulicos ad ueram cordis con-
tritionem, confessionem doctrinæ perspicuam, &
spem mirandæ liberationis, illiq; toto corde ad Do-
minum

minimum reuerterentur, n̄e tu principi, aulicis, & tibi,
optimè in omnem æternitatem prospiceret. Sed
tu molibus uestitus placenta dicas & facis in aula.
Ideo princeps & aulici si sic ut cœperunt perrexerint,
in impietate sua morientur, de manu uero tua
(ut inquit propheta) requiret Deus sanguinem ipsorum.

In confessu est, Papam sui similem permanere, nec desinere esse Antichristum, Episcoporum uero ferreæ mentes ad æquitatem nihil planè flecti. Nam quemadmodum Pharao, sic illi suam Tyrannidem magis magisq; aduersus Christi membra exercerent, neq; quicquam aliud quam idolatricos suos cultus restitui flagitant.

Proinde satis mirari non possum, quando quidem plenis buccis efflas glorias, te omnibus comitijs, colloquijs, & actis de religione habitis interfuisse, qui fiat quod non dico contra scripturam sanctam, & functionem ministerij nostri, sed contra decretum uestrum Smalkaldianum tam impiae postulationi principis & aulicorum seruias.

Vna uox, unus consensus uestrorum omnium Smalkaldiæ fuit de forma politiæ Ecclesiastice tum demum deliberandum fore, cum aduersarij uoluerint ualedicere impietati, & recipere doctrinæ puritatem, at tantisper dum doctrinam oppugnant, & impias coeremonias retinent, non posse cum illis conuenire, neq; aliquid authoritatis illis in Ecclesiæ

tribui, Atq; ideo uno ore sanxitis, uos Deo fidelitatem & constantiam præstare uelle, & ab hoc decreto ne latum quidem digitum discedere, Etiamsi erit crudelitas aduersariorum & rabies eorum, ad supplicia nos rapiens, subeunda.

Queso te quām tu nunc in acie collocatus fidelitatem, & constantiam præstas? Non solum restaurationem omnium rituum papisticorum urges, sed etiam Papæ commentitiam suam autoritatem, & impijs Episcopis persecutoribus Euangelij regimē super miseras Christi ouiculas reddis, politiam Ecclesiasticam egregiè in Interim fucatam approbans. Videsis ne olim conscientia tua de profita religione te exagitet, & examinet. Non leue peccatum est, mihi crede, tantum contra libertatem & ueritatem Euangelij ad perditissimorum hominum postulationem & libidinem Antichristo filio perditionis largiri. Utinam tam mihi à sapientia carnis credere posses, quām id tibi multis argumentis probare paratus sum.

SECVNDO. Acta uestra, literæ principis, & aulicorum testantur, ista omnia eo fine à uobis institui, ut imperatori fucus fiat, quasi confessione Augustana abiecta totum Interim seu Papatum reseperimus. Hanc simulationem, abnegationem Euangelij nequaquam committendam & probandam esse statuo, garriant quid uelint, qui ad suprema ubernacula Ecclesiarum & politiarum tecum sedent.

dent. Apertam, et disertam à nobis Christus resquirit confessionem, ubi dicit, Qui non colligit mecum, dispergit. Quis plus homines diligit quam me, non est me dignus. Nec opus est pluribus testimonijs, corde creditur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem.

Noctuas Athenas, ut proverbio dicitur, non
necessere habeo, Tamen duo exempla confessorum
recensebo. Beniamin diaconus à rege Persarum lib. 10, ca.
propter prædicationem Euangelij coniectus erat in 33.
carcerem, et cum iam duos annos in uinculis de-
tentus esset, uenit ad regem legatus Romanorum,
Is audita captiuitate diaconi supplex factus est re-
gi, et impetravit, ut liberaretur. Vetuerat autem
rex, ne in posterum doctrinam Christianam ulli, et
præcipue magis suis communicaret, At Beniamin
quamlibet sponderet pro eo legatus, constanter in
os regi dixit, se lucem quam esset consequitus non
adempturum alijs, nec talentum domini nostri Iesu
Christi occultaturum. Ac propterea cum à capti-
uitate sua annos duos prædicasset, ab eodem rege
morte atrocissima affectus est.

Eleazar primarius populi Iudaici scriba 2. Macha
cum paratus esset mortem potius oppetere, quam cap. 6.
contra legem Dei porcinam carnem edere, et mul-
ti commiseratione tanti uiri ætate atq; uultu uene-
rabilis propter amicitiam ueterem persuadere scu-
dulo conarentur illi, ne se in extremum uitæ peri-

Hist. Ec-
clesiast.
tripart.

eulum adeo temerè coniiceret, afferentes carnes,
quibus uesci illi licebat, ut simularet se manducasse,
sicut rex imperauerat de sui sacrificij carnibus, in
has erupisse uoces scribitur, malo mori quām mea
ætate indignum quicquam facere, & simulatione
suspicionem de me mouere adolescentibus, abnegatione
tæ legis Dei, & defectionis ad gentes. Neq; enim
mihi nonaginta annorum nato conueniret, si prop=
ter mean simulationem, & exiguum uitæ accessionem
nem tot adolescentes in hoc sœculo deciperem, atq;
ignominiam meæ senectuti conciliarem. Tum eti=
amsi hoc articulo temporis suppicio liberarer, ta=men
omnipotentis manum nec uiuus, nec defunctus
effugerem. Quamobrem fortiter, quemadmodum
senectutis meæ dignitas postulat, pro lege Dei mo=riar,
& exemplum adolescentibus post me relin= quam
constantiae in perseverantia legis Dei. His
dictis tanquam ouis ad occisionem quoq; ductus est,
& uitam cum morte commutauit.

Talem confessionem præstiterunt apostoli,
& alij sancti Dei Martyres, qui etsi sœpe effugere
pericula simulatione potuissent, tamen homines po=tius offendere, quām Deum maluerunt. Talem si
& nos nunc ederemus, tollerabilius nobis & glo=riosius in extremo iudicio coram omnibus angelis
& Dei sanctis foret, in manus hominum quām Dei
nos incidisse.

TERTIO. Ut maxime dem, confessionem
non in

non in istis ritibus, sed alijs necessarijs fidei articulis sitam esse, leuiorisq; momenti ritus istos censeri, quām ut propter eos magnopere contendere quis, aut periculo se exponere debeat, Tamen quia hoc tempore non nisi cum abnegatione doctrinæ, et ueræ sententiæ, antea ex uerbo Dei à nobis latæ, cum uiolatione præceptorum Dei de uitandis falsis cultibus, scandalis, et id genus alijs peccatis recipi, et obseruari queant, nullo modo in minimis ponendos, imo ne quidem pro Adiaphoris habendos esse iudico.

Certo enim certius est, cœremonialia, quæ per se alioqui sunt Adiaphora, cum dant causam idolatriæ, scandalis, uituperationi ministerij nostri, amittere naturam suam, maxime in casu confessio-
nis, qui iam nostris incumbit ceruicib⁹, aut cum exi-
guntur à nobis cum opinione meriti, cultus uel ne-
cessitatis.

Quis autem nisi mente captus non intelli-
git, quām multorum malorum causa sunt hæc ue-
stra pseudoadiaphora? Primo aperiunt fores reue-
hendi in Ecclesiam Dei omnes ueteres abominatio-
nes et idolomanias papisticas. Deinde in dubitati-
onem de doctrina nostra imbecilles multos inter
aduersarios adducunt, quorum assensio in re tam
magna et extra sensus posita sicuti infirma est, ita
facile labefactatur, præsertim cum suos sacrificulos
audiunt triumphantes de nobis dicere, nos ritus è

nostris Ecclesijs explosos pœnitentia ductos recipere, & abrogatarum Cæmoniarum reductione totam Christi doctrinam à Luthero illustratam abnegare. Postea non modo aduersarios, sed etiam inter nos multos infirmos perturbant, quorum quidam propter similitudinem rituum doctrinam quoque cum aduersarijs conuenire tandem putabunt, & ob id facile ad illos deficient, quidam irreuerenter de ministerij nostri dignitate loquentur, quidam religionem ad uoluntatem hominum & necessitatem temporum attemperare discent. Vnde apud aduersarios, sicut iam fieri uidemus, blasphemabitur doctrina nostra, apud nos uero non ita magnificet, & breui, si nos filius Dei suo aduentu non præuorterit, sequetur Epicureismus longè deterrimus, cum homines neque nostram, neque papisticam doctrinam quicquam curabunt. Idque futurum sine ulla dubitatione uir Dei Lutherus præuidit, cum Genesin prælegens exclamaret, sublatis nobis sequentur tempora periculosisima. Postremo in superstitione obstinatos confirmant aduersarios, qui etsi ad excusandas omnes ueteres suas idolomanias in Augustano Interim communi quadam exceptione utuntur, cum dicunt nihil faciendum esse latræ cultu, tamen reuera nihil aliud agunt, quam ut hac fucosa moderatione nobis imponant, & opinionem meriti & cultus retineant. Id postea si nos planè illis adiunxerimus, & omnes illorum Cæmonias iuxta

Interim

Interim præscriptum non dum conciliatis dogmatis
bus receperimus, cum electione è Synagoga nimis
sero nostro magno malo experiemur. Neq; enim
ferent reprehendi à nobis errores suos, neq; etiam
tum, si uellemus, commodè facere poterimus.

Hanc tantam lernam malorum pugnanti-
um multipliciter cum prima & secunda legis diui-
na tabula, & summo altissimoq; gradu de dilectio-
ne proximi cum secum trahant Adiaphora uerstra,
prius uitæ iactura facienda esset, quam uel minima
à nobis instituenda, uel approbanda, ne tam uentri
nostro, quam gloriæ Dei, multarum animarum sa-
luti, & Ecclesiæ ædificationi seruire uideremur.
Quod ut sc̄ere apud animum meum proposui, ita
mihi largiatur benignissimus Deus.

Quod uero tibi ipsi blandiens dicas, non da-
ta hæc scandala, sed accepta esse, Idcirco condem-
nenda, id est ciusmodi, ut magna te securitatis car-
nalis arguat. Non te fugit, opus indifferens quan-
do fit intempestiue, datum quoq; scandalum esse.
Quæso igitur te, ne sis adeo securus, sed exhorres-
cas ad considerationem uocis Christi, Væ illi, qui
unum ex pusillis istis scandalizauerit. Nolis enim
uelis, tamen fateri cogeris, planè intempestiue has
mutationes nunc institui, & melius esse, si nullæ fi-
ant. Ideoq; cum eas reclamante conscientia tua
promoueas, uerèq; illud Medeæ in te competit,
Video meliora, proboq;, deteriora sequor, saluta-
rem casta-

rem cautionem tibi adhibendam esse censeo, ne tragedia quoq; calamitate obruaris.

Dicam tibi iterum quod res est. Propter te multi fratres in Christo gemunt, quod quæ antea destruxisti nunc à te reædificari audiunt, quorum conscientiam cum uulneras, non in ipsis, sed in Christum peccas, ut inquit apostolus. Erat licitum & adiaphoron Paulo, sicut ipse testatur, uesci carnis idolis imolatis, uel non uesci, sed dicit, Si sciarem scandalizari fratrem meum esu carnium, nunquam in æternum comedere carnes, non tantum nostræ, sed alienæ etiam conscientiæ nos rationem habere docens. Idem gloriatur, se ne ad horam quidem per subiectionem falsis fratribus, qui in servitutem Ecclesias adigere uolebant, cessisse. Quim & Petro in faciem restitit, non recto pede ambulant ad ueritatem Euangeli. Utinam hæc cor tuum penetrant, & moliant.

Q Y A R T O. Multi tecum opinantur, principum potestatem tantam esse, ut nemo illis refragari possit, & debeat, hanc reformationem boni ordinis causa (si Dijs placet) flagitantibus.

Hunc nodum dudum dissoluit Reuerendus pater noster Lutherus in epistola ad D. Philippum olim Augustam missa, cuius patris nostri spiritus fero pro gloria Dei, si uilescere nobis non inciperet, nullo modo doctrina nostra & religio tantopere nunc periclitaretur. Verba eius hæc sunt.

Quod

Quod si prætendatur, Cæsarem ut Cæsarem, principem ut principem talia statuere (adiaphora uesta intelligit, uel statuta retineri uelle ab Ecclesia non ut ab Ecclesia, sed ut à subditis, & hoc prætextu totā Tyrannidem confusionis Papisticæ resuscitare, & sic Ecclesiam nihilominus oppressam, & subiectam Episcopali potestati habere, hic ego sentio authoritate diuina prohiberi, ne illis credamus.

Quia Christus prohibet impium, & peccatorem pro iusto agnoscere, nisi pœnitentiam egerit. Mat. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi uelut Ethnicius.

Nemo sanus negare potest, hanc sententiam uiri Dei, piam, ueram, & conuenientem uerbo Dei esse. Cum igitur omnium nostrorum aduersariorum furor, & impietas eorum, qui se illis adiungunt testetur in pœnitentiam, & quod manifeste rei sunt, & se: eos faciant confusionis & Tyrannidis Papæ, contradici & resisti illis oportet. Neque enim cum debeant, & uelint esse nutritores & defensores Ecclesiæ committendum est, ut uel nescientes, uel scientes idola colant, uel colendos sensim introducant.

Ad hæc Reuerendus pater in eadem epistola docet, has duas administrationes politicam & Ecclesiasticam diuersas & distinctas esse, nec concedendum ut confundantur, imo potius moriendum, quam hanc iniquitatem stabiendum esse.

Quid

tra
pter
ntea
rum
ed in
itum
car
isci
nun
itum
nem
oram
ser
Quim
nbu
tu
tur,
s re
bo
ndus
pum
ritus
inci
tan
funt.
uod



Quid etiam futurum est, si principes & du-
tici, quibus doctrina uera nō est cordi, pro arbitrio
suo leges cærenoniarum in Ecclesia figent & re-
figent authoritate ista & potestate, qua ipsos con-
tra ministros fideles iam armamus, breui post nos-
ipsos docebunt, si tamen iam non est præ foribus,
cum fideles ministros non assentientes ipsorum im-
pietati dimittant, & ejciant, Quæ dimissio & e-
iectio te conuincit, planè inuitis omnibus ueris pa-
storibus, & benè constitutis Ecclesijs hæc uestra
adiaphora contra doctrinam de libertate Christia-
na obtrudi, cum libera electione permissa, & spon-
tanea quadam obedientia sine impietate, & defec-
tionis suspicione ab illis postulanda sint, et tum de-
mum instituenda, cum assenserint.

In fine Ec-
clesiast.
historiæ,
folio 837.

Scribitur de Leontio Episcopo, decorato
præclaro testimonio magnæ eruditionis, prudentiæ
& grauitatis, quòd propter hanc confusionem re-
gimini Constantium imperatorem multa inter E-
piscopos de Ecclesiasticis constitutionibus dicen-
tem, his uerbis reprehenderit, mirari se, quòd tan-
to imperatori à negocijs suis sit otium aliena ut cu-
ret. Rempub. enim administrandam illi commissam
esse, nunc uero ea posthabita desidere inter Episco-
pos, & statuere de Ecclesiastica administratione,
quæ ad ipsum nequaquam pertineat. Si non maiori,
certè pari reprehensione nostri digni essent, qui
metas officij sui multo tetrius transiliunt.

Hæc

Hæc tecum libere & candidè colloqui uolu-
lui, incitatus non solum mea erga te benigna animi
inductione, sed & purioris nostræ doctrinæ labefac-
tatione, & infirmarum mentium perturbatione,
quarum gemitibus qui non mouetur, hunc ego non
Stoicum, sed Caucasi rupibus duriorem existimo.

Magnos dolores & fremitus excitat ueris
Germanis, cum illis obijcitur, nos iam auitam, &
paternam fidelitatis, fortitudinis, castitatis, & con-
stantiae laudem omnem amisisse, & propterea apud
exterros male audire. Verum pios in doctrina Do-
mini recte institutos multò uehementius cruciat,
quod audiunt & uident, repullulascere Papatum
multorum leuitate, in quibus summa grauitas esse
debebat.

Deus pater Domini nostri Iesu Christi lar-
giatur nobis, ut imitari possimus Abdæ Episcopi Hist. Ec-
constantiam. Is zelans pro gloria Dei τυρεῖα clesiaſt.
templa Persarum, in quibus ignem seruabant, quem triparts
Deum arbitrabantur, subuertit, & cum à rege crux 30.
lib. 10. ca.
deliſſimo Tyranno iussus eset, ut ea rursus ædifica-
ret, maluit cum Ecclesia sua extrema pati, quam di-
ruta instaurare. Qua in re rectissimè eum Eusebi-
us fecisse prædicat, Etsi templorum destructionem
aliquo modo improbat, Quæ tamen cuiusmodi sit
improbatio, aliorum esto iudicium. Certe multi
pij, & præcipue pientissimus rex Iehu laudem ad
omnem

dll
trio
re-
on-
ios-
bus,
im-
r e-
pa-
ftra
stia-
bon-
fec-
de-
rato
ntiæ
i re-
r E=
cen-
tan-
t cu-
iſſam
isco-
ione,
tiori,
, qui

Hæc



omnem posteritatem meruit maximam, quod sacerdos
dotes & templa Baal euertit, ita, ut ex pha=
nis Baal latrinas fecerit. Date
Vuitenbergæ. Anno 1549.
25. Februarij.

M. Lucæ Hetzero.

TARDIVS ALIQVANTO MEA
promissione, & tua fortasse opinione mi frater in Christo, & non nisi amantissimis tuis
literis inuitatus ad te scribo, De quo mihi uelim ignoras. Non enim uoluntas, sed facultas scribendi
hactenus mihi defuit. Ita pluribus negotijs occu=
patus fui. Colere amicitiam studio non propter u=
tilitatem, sed honestatem, in quam curam cum te
quoq; incumbere animaduerterim, cupio animorum
& studiorum nostrorum coniunctionem ad rogam
usq; iniuiolatam & auctam bona conscientia conser=
uare & literis confirmare. Itaq; tibi polliceor, me
posthac frequentius ad te scripturum.

Quod scribis de accessione doloris uestri ex
calamitate nostra, magno me affectit gaudio, Lætor
enim reperiri aliquos in tanto odio nostri, qui affi=
ciuntur hac clade, quam nostroru culpa, & impru=
dentia accepimus. Suasum & interdictum erat no=
stris, ne temere cum hoste exercitato & sanguina=
rio configerent: Sed non obtemperarunt. Casti=
gauit

gauit igitur, & probauit nos Dominus, sed morti
non tradidt omnes. Et bonum est, quod nos humi=
liauit, ut disceremus iustificationes suas, Mitto tibi
aliquos libros, plures cum adhuc supersint nummi,
missurus, & rationem expensi redditurus, simul ac
maiorem oportunitatem nactus fuero.

Acta Lipsensia ubi perlegeris, intelliges,
quām omnia, (ut mollissime dicam) secundum car=
nis sapientiam, quæ in rebus diuinis abominatio est
coram Deo, egerint optimi præceptores nostri. Do=
minus spiritu suo sancto eos in uiam reducat, ut qui
sint, quidue fecerint, cogitent, deprecentur coram
Deo culpam, & constanti quodam scripto omnia
ignita tela Diaboli ex cordibus eorum deleant, qui
spetie mala adiaphororum offensi, de doctrina no=
stra iam subdubitare incipiunt.

Reuereor eos, ut qui maximè, Eòq; hæc scri=
bo, ut sollicitudinem meam pro ipsis & omnibus
membris Christi, tibi quasi in sinum infundam. Ut i=
nam meam mentem rectius nossent, non me ille,
quem mihi dixisti, ita temere iudicasset. Sed hæc est
hora tenebrarum. Ach quam uellem, ne esset tan=
torum hominum, in simulationem electos etiam se=
cum ducentium.

Acquieui hactenus, mi frater, consilijs uestris,
nec curaui quicquam meorum edi. Nunc quia ser=
monibus & literis fide dignorum ad me perlatum
est, partim palam, partim clam abitionem meam

D mihi

nīhi uerti uitio, quasi periculi uitandi causa me in
munitiorem & tutiorem locum abdiderim, consili-
um quod prius impulsu uestro intenderam, re-
pudio.

Etsi autem me ab ista calumnia uel hoc uin-
dicat, quod uos Mauritaniani, si quid hostilius aduer-
sarij aduersus nos molientur, in defensione et gratia
eritis Cæsar, nos uero proscripti quotidie tan-
quam oues destinatæ mactationi extrema quæq; ex-
pectare cogemur, non tantum à persecutoribus
Euangelij, sed etiam à pseudofratribus. Tamen cer-
tis de causis admonitionem meam scriptam dudum
à me ad Eislebium, edam, cum breui hac significa-
tione, cur à uobis, non sine moerore, discesserim.

Scilicet, ego periculi euitandi gratia à uobis
prefectus sum, cum in manifestum me & fortuna-
rum, & uitæ discriminem coniecerim, ac ueluti quon-
dam muliercula illa in Edessa ciuitate ad confessio-
res Christi iam iam mactandos cum filiola sua festi-
nauit, Sic ego quoq; cum charissima mea coniuge
& filiolis huc commigrarim, ut hic, si Domino ui-
sum fuerit, martyrij coronam susciperem, dum alij
cothurnos utriq; pedi aptos, id est, ambiguas &
flexiloquas de doctrina formulas condunt, & regi-
men super miseras Christi cuiculas Romano Anti-
christo, & impijs Episcopis reddunt, alij opibus
inhiant, alij relicta seruitute Christi, hominibus ser-
uire & placere student, periculum uerius, & con-
fessionem, quam ego, defugientes. Discessi-

in
li=
re=
in=
er=
tia
in=
ex=
bus
er=
lum
icd=
obis
na=
on=
ffo=
esti=
uge
ui=
alij
s et
egi=
nti=
ibus
ser=
con=
ebs
Discessione meæ multæ causæ sunt, quarum
præcipua est precatiuncula uestra ex glisnica aula
profecta. Quanta enim in conscientia mea pertu-
lerim, quos insultus Sathanæ propter eam sustinu-
erim, dicere non possum. Didici, quid, et quām gra-
ue sit, facere aliquid reclamante communi sensu, et
conscientia propria, quid sit illud apostoli: Quid=

quid non fit ex fide, peccatum est.

Qui istam precatiunculam tantoperē lau-
dant, et urgent, rebus benè stantibus excommuni-
carunt animose Cæsarem et Mauritium. In hac
excommunicatione utriq; adhuc harent, cum Cæ-
sar non desinat esse persequuntor Euangeli, Mauri-
tius nullam agat pœnitentiam, pro desertione fra-
trum, effusione innocentissimi sanguinis Christiani,
atq; alijs suis tetris peccatis. Quo animo igitur,
et ore pro ijs preces, quasi resipuerint, coram
Ecclesia ad Deum fundant, ipsi uiderint.

Scio non blasphemandas esse potestates, do
randum esse pro Cæsare, sed ita orandum ex uer-
bo Dei statuo, sicut orarunt apostoli pro Tyrannis
Nerone, Diocletiano etc. Ut Deus eum suo sancto
Spiritu illuminet, et ad ueram agnitionem Chri-
sti perducat, si uero illuminari non uelit, ut perse-
quutorem Christianorum confundat, nec contra
Dominum et Christos eius tumultuantem fortunet.

Gleisnica autem precatiuncula ita sonat. Con-
serua Deus Cæsarem, qualis est, persequutorem

D 2 nempe,

nempe, fortasse quia ille de Madr uz in obsidione
Vittenbergensi cum interminatio ne suspendij inter-
dixit, ne pro Cæsar is illuminatione oraretur, satis
enim suam maiestatem illuminatam esse.

Noui quoq; quædam uitia condonanda &
arte lenienda esse, sed idem edo etus scripturis san-
ctis & exemplis Prophetarum, Iohannis Baptiste,
Ambrosij aliorumq; sic sentio, ad enormia peccata
non missandum, nec causam impij iustificanda esse.

At quid aliud uos uestra precatiuncula effi-
citis, quam quod impietatem & impoenitentiam
impoenitentissimam Mauritij & sotiorum eius iusti-
ficatis, quando sine mente sonū datis, Domine Deus
confirmā Mauritium in Christiano animo suo: Nam
si perpenderimus, qualis sit Mauritius, inueniemus
eum talem esse, qui (vt de paulo ante enumeratis
peccatis fileam) oblitus humanarum & diuinarum
legum, adeoq; storgarum diuinitus insitarum pa-
teui sui bona, ui & fraude extorta, impie & imiuste
possideat, & porro socia arma cum aduersarijs ad
debellandas reliquias nolentum adorare bestiam,
& suscipere characterem eius, iungat. Horum
alterum ex scriptis præceptorū nostrorum, de defen-
sione humano generi concessa, constat. Si enim
iusta et legitima fuit defensio optimi & de Ecclesia
bene meriti principis Iohannis Friderici electoris,
sicuti certe fuit, quo titulo illius honorem & bona
teneat, nemo sanus ignorat, alterum ita manifestum
est, ut

est, ut disputacione non egeat. Canonicorum enim nostrorum, et ipsius literis accersiti hostes, irruptionem in fines nostros, & stragem hanc fecerunt.

Deum testem facio, cum ad mentionem Cæsaris, et Mauritij in oratiuncula uestra uenirem, me saepe & uisu & uoce destitutum esse. Notum mihi erat ex interitu Augustano, eū conatū esse Cæsar, ut abolcat doctrinam nostram, Ecclesias Christi deleat, & trucidet pios non recipientes Interitum serio igitur abhorrebat animus dicere, Domine Deus conserua hunc Caro^{rum}. Non enim potest, nec debet Christiana mens pro cōseruatione eius regis, uel regni orare, cuius studiū est afficere cōtumelia non men Dei, extinguere ueram agnitionem Christi, trucidare pios. Subibat quoq; animum, me grauiter in Deum delinquere, quod hanc præscriptam formulam orationis pro Mauritio dicerem, qui in ea peccatorum suorum tegendi gratia Christiano nomine, & petitione corroboratris Spiritus sancti abuteretur, quem sua impenitentia à se repellere non desineret.

Paulus dicit. Si quis cum frater appelletur, aut simulachrorum cultor, aut rapax fuerit, cum eiusmodi ne cibum quidem capiatis. At multi iam muneribus corrupti non tantum suauiter cum eiusmodi epulantur, sed etiam ad ipsorum uoluntatem & nutum quasi se conformant, laudantes & ædificantes penè omnia, quæ antea sumnè impro-

D 3 barunt

barunt & destruxerunt. Ideoq; pretium nolentes, uolentes ob hanc peruersitatem merito ferunt, maledicta, & imprecations populi, iuxta dictum Salomonis: Qui dicunt impio, iustus es, maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus. Sed de his plura, quam statueram.

Venio ad aliud. Accepi ex Antistite nostræ Ecclesiæ, senatum uestrū quottannis ex debito 70. Taleros numerare solitum nostræ Ecclesiæ. Hanc summam pecuniæ, qua hic aluntur pauperes, nunc numerare detrectat, cum Lipsensibus, qui admoniti quoq; debiti officij, responderunt, nobis certas ob causas, quia scilicet à Cæsare proscripti sumus, non esse seruandam fidem. Quare rogo admoneas affinem tuum optimum uirum, & alios, ne se participes desertionis, defraudationis, & persecutionis membrorum Christi faciant. Spiritus sanctus per Iohannem inquit, Si uideris fratrem tuum egentem, pro quo exemplo Christi uitam ponere debes, & clauseris uiscera tua, quomodo manebit charitas Dei in te? S. Ambrosius. et Si non pauisti, occidisti. Et S. Paulus, Quod si quis suis, & maxime familiari bus non prouidet, fidem abnegauit, & est infidelis deterior. Quid quod et Cicero, Ethnicus, naturali bono & lumine dicit, non tantum is est in uitio, qui infert iniuriam, sed etiam, qui cum potest, non propulsat?

Nos iam nullam aliam ob causam, quam propter uerbum

pter uerbum Dei in proscriptione Cæsar is summis.
At illi qui nos deserunt, prosequuntur, aut quoquo
modo defraudant, incident in iram & damnatio-
nem Dei, qui in extremo iudicio redditurus est uni-
cuique secundum opera sua, & desertoribus, raptor-
ibus ac homicidis istis dicturus est, quicquid non fe-
cistis uni ex minimis meis, mihi non fecistis, Ite in
gehenunam &c. Quid præterea scribam nihil ha-
beo, neque tutum est in hac perfidia tempo-
ris quiduis literis committere. Vale

Datae 5. octobris, Anno.

1550.

T. M. Albertus Christianus.

Tantum tabellarius ciuis uester cum literis
meis ad te abierat, cum hic meus amicus ad me ue-
niret, & interrogaret, num quid ad uos uellem.
Quare paucis te huius moneo, quod heri mihi ex-
cidit.

Queris, quid fieri uelim de duabus Thale-
ris, qui ad me ex testamento redeunt. Prorsus ita
facito, ut tceum coram loquuntus sum. Da illos Ma-
gistro Martino Brandenburgam mittendos. Nam
ibi cuidam meo amico pro butyro tantum aeris de-
beo. Huic satisfieri primo quoque tempore cupio.

Porro, Quæso te mi frater, mei ut ratione habeas.
Si audes meæ famæ quicquam detrahi, me defendas.

D 4

Ita

Ita enim Christiani & ueri amici officium facies.
Quo ut & ego defungar, obiter te quoq; submo= neo, tibi ut caueas, ne ex hominum authoritate ommia metiens, contra conscientiam & uerbum Dei facias, dum orationem istam glisnicam populo prælegis.

Quod Iieremie exemplo se defendunt, uiben= tis per literas populum Israel captiuum orare pro ciuitatis Babyloniae pace, & Nabuchodonosor, id alienum est ab ipsorum pristina sententia, & inte= gritate.

D. Philippus in locis suis Anno 1546. editis, scribit, discernendas esse res, & personas, exemplo Pauli, qui etsi ordinem Romani imperij Dei consilio, & ope constitutum amabat, uenerabatur, & inconiulsum cupiebat, Tamen Neronem ut te terri mam pestem, & Diaboli organum oderat, execrabitur, & tolli eum à Deo petebat. Huius senten= tiæ si adhuc essent, non dubito, quin ex Ecclesia gnatonicā istam orationem exploderent, aut certe nomina ita odiosa tollerent. Sciunt enim quales personæ sunt, pro quibus precatio non sine scan= dalo multorum piorum legitur.

Noruit singulari Dei uoluntate propter ido= latrian populum Iierosolimitanum, à Nabuchodo= nosor, qui à Prophetæ Ezechiele Dei seruus ap= pellatur, abductum & in seruitutem Babyloniam secundum prophetarum uaticinia redactum fuisse, & prop=

et propterea magnum discrimen esse inter nos troes
gubernatores, & Nabuchodonosor. Nam et si
factum Nabuchodonosor, excusari, et probari non
potest, tamen certum est quicquid fecit, eum pecu=
liari Dei consilio, et reuelatione facta prophetis, fe=
cisse, at nostri contra Dei uerbum, pacta, sœdera, &
uocationem suam Ecclesias Germaniae, quarum nu=
tritores, & defensores esse debent, ferro, igni, deniq;
omni genere expilationum ustant. Nabuchodo=
nosor doctrinam diuinitus populo Iudaico traditam
non impugnauit, Nostri Euangelium Dei non solum
persequuntur, sed nos etiam ad abijciendam eius con=
fessionem, ui & dolo adigere conantur.

Vides quorsum delabantur, dum illa, quæ in
Ecclesia non ratione, sed uerbo Dei reguntur, pro
suo arbitratu in gratiam aulicorum inflectunt.
Faciunt intelligendo, ut nihil intelligent. Confun=
dunt has duas administrationes, politicam & Ec=
clesiasticam, quæ cū planè diuersæ et distinctæ sint,
recte reuerendus Pater noster Lutherus ex scriptu=
ris sanctis docet, nos mori potius debere quā conce=
dere, ut confundantur. Recte & Leontius Constan=
tium imperatorem reprehendit, inquiens, mirari se,
quod tanto imperatori sit otium, aliena ut curet,
quæ ad se non pertinent. Remp. enim administra=
dam illi commissam esse nunc uero desidere inter
Episcopos de constitutionibus Ecclesiæ consultan=

D 5 tes. Chri=

tes Christus ait, Spiritus sanctus, arguet mundum de peccatis. At aulici uestri, ne peccata ipsorum arguantur, sed iustificantur, ius sibi sumunt reformandi Ecclesias, & præscribendi nobis orationes. Homines Epicurei, qui nec uim orationis, & spiritus intelligunt, nec unquam aut certo raro orant, hi nos orare docebunt? O indignum facinus, quod impijs istis hominibus se forti & infracto animo non opposuerunt, neq; dum opponunt.

Testis mihi est Deus, quod multi ad me uenerunt, qui offensi hac personarum nominatione, in priuata absolutione consilium à me petuerunt, quibus quid darem consilij, ipse consilij inops, nisi ut exemplo Pauli apud se orarent, quemadmodum D. Philippus scribit, non pro personarum conseruacione, sed regiminis?

Nihil imoderatè & sediciose me hic fecisse iudico. Addidi, ut communes miserias Christiano & forti ferrent animo, & magistratui cui a Deo subiecti essent in omnibus causis iustis, et licitis pareret. Fore tandem, ut liberentur, Ultra enim metam à Deo constitutam Tyrannos non grassaturos. Hac doctrina illis fortasse satisfeci, mihi autem satisfare nullo modo potui, cum præsertim, ut scis, si quando à me erat omissa precatio, uehementer ab eo impeterer, cui summa rerum in templo uestro commissa est, & metu grauioris mali contra conscientiam meam preicationem subinde legerem.

Ac uerè

Ac uerè dusim dicere, eadem cum D. Philip-
po docere apostolum, ubi hortatur nos, ut ante
omnia à nobis fiant deprecationes pro regibus, &
omnibus in eminentia constitutis. Nam cum addat,
ut placidam ac quietam uitā sub illos degamus, cum
omni pietate & honestate, certè non uult, ut uestro
modo pro eorum incolumente oremus, qui bello
horribiles uastationes politiarum, & Ecclesiarum
benè constitutarum in patria nostra faciunt, inno-
centes opprimunt, & se multis grauibus peccatis,
defectione religionis ueræ, & persequuntione fra-
trum magis magisq; onerant, nec ueram discipli-
nam, sed umbram tantum illius (ut uestrates scri-
bunt) restituere uolunt.

Quid præterea in hac perfidia temporis scri-
bam, nihil habeo, nisi quòd hostes nostri spureis suis
literis, linguis, & manibus nobis minitantur, se, ubi
hac urbe ui potiti fuerint, non senibus, non infanti-
bus, ne in utero quidem materno adhuc positis,
quos natura duce etiam apud gentes innocentia ex-
cusat, & ledi prohibet, parsuros. Ego, quatum-
uis supra modum spirent minas, et omnium miserabile
sit claudi obsidione, in hac tamen miseria gaudeo
& in Domino trepudio. Scio, si hic super sacrifi-
cio meo Euangeli Domini nostri Iesu Christi imo-
latus fuero, Christum uitam meam esse, & mor-
tem, lucrum. Malo etiam hic cum confessoribus
Christi malis affici, uel mori, quam apud uos tem-
porarijs

porarijs peccati commodis frui, nihil dubitans, ma-
iores esse diuitias probrum Christi, quam totius
mundi thesauros. Alij qui iam incerti fluctuant,
& quæ sua ipsorum sunt, non quæ Christi Iesu, quæ=
runt, qui sapientibus & principibus huius mundi
applaudunt, qui non tam ex uerbi diuini quam præ=
cellentium hominum authoritate pendent, & hinc
multa ac grauia peccata contra Deum & consci=
entiam committunt, iudicium suum portabunt.

Sententia mea de adiaphoris ad Eislebium
iam est sub incude. Iudico enim utile esse multorum
extare testimonia ad posteritatem, quid quisq; de
fucosis et sophisticis Belial ac Christi conciliatinbus
senserit. Ideo eam lubenter patior in lucem prodi=
re, susq; deq; ferens, quorundam prava iudicia.
Nam nullum mihi dubium est, quin hoc meum fa=
ctum calumniatur sint. Sed calumniantur sanè, &
delicientur in hoc mundo cum suis amicis, næ illi in
inferno egregiè etiam cum epulone illo diuite suda=br
bunt, si tales, quales iam sunt, permanserint. Vale.

Datum Magdeburgi. 6. Octobris.

Anno. 1550.

T. Albertus Christianus.

154628


(x220 3832)

IA - 706

Hc. 54 i


199.





FarbKarte #13

B.I.G.
Black
White
3/Color
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



ADMONI^s
TIO M. ALBERTI CHRI-
stiani ad primarium nostri tem-
poris Ecebolum Eislebium scri-
pta, Anno M. D. XLIX.

Cum præfatione cius-
dem authoris ad
Lectorem.

Item epistola ad M. Lucam Hec-
zer diaconum Vuitenberg. de
causa suæ discessionis Vuit-
tenberga contra calumni-
atores suos.

1551.

XI.